

I 2 W

L 6 0 5

✓ 00/5

ark. M. 396.

Gesner, Sal. Belg. disputationes

—(40) Hoe, m.

K. IV. 31.

Rupertus Niesnig acceptil  
Jacobo Tappio.

confit. 1. 13. 7.

393.

27

PRO SECUNDA  
PARTE EXAMINIS CON-  
CILII TRIDENTINI REVEREN-  
DI ET CLARISSIMI VIRI, DN. D.

MARTINI CHEMNITII

DISPUTATIO TERTIA

complectens & examinans  
capita,

I. De Operे Operato.

II. De Charactere.

III. De Ministris Sacramentorum.

IV. De Intentione.

V. De ritibus in administratione Sacramentorum,

Quam

Deo tri-uno annuente & favente

Sub Praesidio

SALOMONIS GESNERI,

S S. Theol. D. & Profess. in Academia Witeb.

Publ. ventilandā proponit, ad 17. diem Febru-  
arij in Templo Arcis Electoral.

DAVID REVZIUS Rostochiensis.

WITEBERGAE

Typis Meisnerianis, Anno 1603.



  
**REVERENDIS ATQVE  
EXCELLENTIIS:  
VIRIS.**

*Dn. ANDREÆ VVENCELIO.*

*Dn. VALENTINO SCHACHTIO.*

*Dn. DAVIDI LOBECHIO.*

*SS. THEOLOGIAE DOCTORIBUS CLARISSIMIS*

*In Inclytis Marchionum & Megapolitanorum  
ACADEMIIS*

*PROFESSORIBUS DIGNISSIMIS*

*ECCLESIAE IESV CHRISTI PA-  
STORIBVS VIGILANTISSIMIS*

*Dominis meis Præceptoribus, & favitoribus, omni ob-  
servantiâ suspiciendis, colendis:*

*hanc œuđitkσιρ, partem ἀνακεφαλαιώσεως Chemniciani  
examinis continentem,*

*grati animi monumentum*

*reverenter*

*dat*

*dicat*

*consecrat*

*David Reuzius Rostockiensis.*



## THEISIS I.

**S**peciosum, & probè coloratum oportet adhibeat fucum, quicunq; monstrum aliquod commendare & exornare cupit: Sic non immerito in hoc Canone VII, & præcedentibus, Tridentini Conciliabuli Parastata, speciosos quosq; fucos & pigmenta depromunt, quibus monstrum suum, OPUS OPERATUM exornent, & pictarum rationum calamistro crispent & proferant.

### II.

Principio igitur in hac συζήτεια, quam Deo triuno & γνώσχη διατή auspiciamur & deducimus, quibus modis, opus suum operatum colorare & formare conentur, dispicemus. II. Auctoris nostri vestigijs insistentes, quid de Charaktere nugentur detegemus. III. Quid de Sacramentorum Ministris, IV. De eorumq; attentâ Intentione somnient, excutiemus. V. Et tandem quid de ritibus in Sacramentorum administratione apud Pontificios receptis sit sentendum, declarabimus.

### III.

## DE PRIMO.

Ad definiendum opus operatum varias adferunt Scholastici opiniones & sententias, alterque alterius insaniam curare non raro intendit, ut videre licet in Gropperi & alijs, qui ab insulsa dogmatis hujus fæditate rectius sentientes abhorcent, Scholasticorumq; Doctorū sententias obelo transfodiunt, & ad limam revocant.

### IV.

Dicunt enim illorum disputationes de Opere operante, & operato nihil aliud voluisse, quam veritatem Sacramentorum, non esse ex merito, seu dignitate Ministri operantis; sed ex mandato, operatione ac potentia Dei instituentis estimandam: Et opinione operis operati omne meritum accipientis ab effe-

Etū Sacramentorum excludi; ita ut Sacramentorum veritas non ex fide suscipientis pendeat, nec ab eā Sacramenta evēgyas suam mutuetur. *V.*

Verum σοφὸς νὴ διὰ φάρμακον νοσῶντες ἐπὶ αὐτῷ λόγῳ: Si enim hoc sub opere operato vellent Pontificij, faciliter operā lis dirimeretur, nec quicquam desideraremus, quam ut ab inconvenienti sermonis genere linguam vindicarent, & mentem tenerent. *VI.*

Longè aliter Scholastici olim senserunt; nec sane reliqui Pontificij huc volunt, quando pro dogmate Operis operati digladiantur, & sub verbis illis exoticis, longè aliud monstrum foz tum & nutritum, Ecclesia obtrudunt. *VII.*

Quare opera precium erit, ut eorum sententias paulò altius repetamus, atq; ex proprijs illorum scriptis, quid sibi velit Operis operati opinio eruamus, & demonstremus. *VIII.*

In hoc namq; communiter omnes Scholastici conveniunt; Quod Sacraenta Veteris legis ratione operis operantis; non vero operati justificari: Nova legis vero Sacraenta ratione operis operati justificant. *IX.*

Per opus operans intelligunt, quando in adultis Sacramenta suscipientibus, bonus motus, seu devotio interior accedit, atq; sic ipsam fidem opus operans nominant; Iam vero opus operatum huic oppenunt, & perfectionem externi operis, sine motu interno id esse dicunt, & gratiam illud conferre, eo ipso quod opus istud, puta Sacramentum, exhibetur, existimant: adeo etiam, ut preter exhibitionem signi, foris oblati, non requiratur bonus motus interior in suscipiente, sed sufficiat, ut suscipiens non ponat obicem, peccatum mortale, vel eius propositum. Bonaventura lib. 4. distinct: I. quest. 5. Gabriel Biel lib. 4. dist. 1. quest. 3.

*Idem*



## X.

Idem etiam Petrus de palude in 4. sententiarum dist: 1.  
quest: 1. sentit, ubi Sacramentorum Veteris ac Novi faderis  
collationem instituit: Inquit enim istud non valere, si dicatur  
opus operatum non esse à Sacramento, sed à Deo in Sacramen-  
to, vel cum Sacramento: quia ita Sacramentum Novi fæde-  
ris, non distaret à Sacramento Veteris: quia oportebat etiam in  
Veteri lege dispositionem in parvulis à Deo fieri: unde con-  
cludit, quod Sacraenta Nova legis ex opere operato gratiam  
causent, & justificant.

## XI.

Licet verò nonnulli hanc opinionem de opere operato pass-  
lò aliter disputatione, variasq; rimas, quibus evadant scruten-  
tur: tamen hac communis Scholasticorum sententia causam de-  
cedit; Et in veterata Vulgi opiniones à Doctorum proloquio de-  
pendentis, abundè testantur, quomodo doctrina illa de opere  
operato in Papatu olim tradita, hactenus accepta, & hucusq;  
retineatur.

## XII.

Externâ enim exhibitione & susceptione Sacramentorum,  
se egregie in salutis negocio animatos existimant, sibiq; pre-  
clare prospectum; fiat interim quicquid velit ac possit de fide  
ac pœnitentiâ.

## XIII.

Frivolum hinc quoq; erit Gropperi sophisma, quo lecto-  
rum oculos & animos fascinare, & in re manifestâ turbare ad-  
nititur: Nam cum duplex Scholastici opus operans statuant;  
unum in ministro celebrante, seu administrante Sacramen-  
tum; alterum verò in illo, qui Sacramento utitur, suscipiens  
bonum motum interiorem, devotionem ac fidem; atq; utrigq;  
opus operatum alio atq; alio respectu opponant; callide illud  
Sophista dissimulat, atq; altero tantum illud, quod est in mini-  
stro celebrante opponit; & inde nos accusat, quasi Scholasticis illa-  
ta sit injuria dum perhibemus, eos à salutari usu Sacramen-  
torum, fidem sive bonum motum interiorem sequestrare.

A. 3

Hinc

## XIV.

Hinc etiam futilis & vana est Alphonsi exceptio, qui, dum universa pestilentia Tridentinae cathedra, omnes omnium Scholasticorum disputationes & opiniones, de opere operato, qualescumq; tandem sint, probat & confirmat, non vulnus roti Pontificiae Ecclesiae tribui, si quid unus, alterve privato spiritu scripsit & disputavit. X V.

Nam quod mentione operis operati non intelligi velint, Sacramentorum veritatem & efficaciam non pendere ex Ministri sive dignitate, sive indignitate: sed potius per novae legis Sacmenta ex opere operato, ita conferri gratiam, ut non opus sit fide illam gratiam recipere, ex collatione Canonis duodecimi & octavi luce clarior appareret.

## XVI.

Interea mendacium maxime insidiosum committunt: Nostra enim Ecclesia in posteriori parte Canonis imprudenter impudenterq; affingunt, quasi hanc tueretur sententiam: solam fidem divinam promissionem respicientem, absq; usu verbi & Sacramentorum ad gratiam consequendam sufficere: atq; interim opinionem operis operati a scholasticis traditam in apicum proferre & detegere erubescunt, utpote gladium exhibitum, quo portentum hoc doctrina jugularetur.

## XVII.

Quae vero nostrarum Ecclesiarum sit sententia, diversum plane testificans, in precedenti disputatione, quando sextus Canon ad normam sacrae Scripturae examinatus fuit, liquido apparet: quibus hanc invictissimam demonstrationem superaddimus: Promissionem scilicet gratiae, qua ad auxiliis annexa est sacramentis, adeo fidem requirere, ut sermo auditus non proficit, nisi eorum fidei, qui audiunt sit commixtus, & ab illa utiliter ac salutariter accipiat & applicetur Heb. 4. v. 2.

## XVIII.

Hac itaq; de operis operati descriptionibus, de quibus, quid fidei

fidei Christianæ sententiam jam videbimus. Primo dogma illud novum & spurium esse, minimq; in Ecclesia receptum, ipsa verborum forma satis indicat: nihil enim de eo nobis Christus, ipsiusq; Apostoli, nihil purior, & jurata sincera Ecclesie antiquitas tradunt & confirmant.

## XIX.

Nec est quod φάσεως sive vocabuli novitatem solummodo ridiculè excusat Bellarminus tom. 2. lib. II. cap. I. quasi arx controversia in eo sita esset, quod contra regulas Grammaticorum OPERATUM passim accipitur: Non enim lis est de verbis, sed de sensu, qui sub illorum involucro Ecclesia obtruditur. Nos enim docemus, suo loco relictis Grammaticorum regulis, rem ipsam Canoni scripture repugnare, & contra regulas Spiritus S. esse, quod à Pontificijs docetur, Sacra menta N. L. ex opere operato prodesse. Ac si hac in parte grammaticas solummodo leges violaret, possemus usurpare & amplecti illud Augustini, quo Iesuita novitatem illam excusat: Melius ut nos reprehendant Grammatici, quam ut non intelligant populi.

## XX.

Quodverò Pontificij videri volunt, quasi sententiam jam dudum Augustino receptam retinerent & propagarent, oscitantiam suam negligentem produnt, quod nō satis Augustini verba percipientes, ea male torqueant & explicitent.

## XXI.

Quando n. Augustinus contrā Donatistas lib. 3. cap. 14. tractat, non interesse cum de Sacramenti integritate tractatur, quid credat, & qualis fide imbutus sit ille, qui Sacramentum accipit, licet plurimum intersit ad salutis viam, non tamen interim ad Sacramenti questionem: fieri enim posse, ut homo integrum habeat Sacramentum, & fidem perversam, quam sententiam quoq; inculcat lib. 5. cap. 8. & lib. 4. cap. 15. Hac similia minus accurate perpendentes Scholastici, fixerunt, non tantum ipsum Sacramentum, verum & gratiam & virtutem



tem Sacramenti accipi & haber i sine fide ab impenitentibus & incredulis: Cum tamen Augustinus satis accurate ubiq. distingat, inter ipsum sacramentum, & sacramenti virtutem, eamq. distinctionem ut apprime necessariam iterum atq. iterum inculcat lib. 1. cap. 25. contra Cresconium. Et contra Epistolam Parmeniani lib. 2. cap. 6.

## XXII.

Similiter, cum Augustinus inquit Epist: 25. Parvulus etiam si fidem non habeat in cogitatione; non ei tamen obicem contrariae cogitationis opponit, unde Sacramentum eius salubriter percipit: Hanc sententia heterocrito suo intellectu Pontificij arripientes, ex eâ regulam generalem fecerunt: Ad accipiendam gratiam sacramentorum in salutem, non necessariam esse fidem, vel bonum motum cordis interiorem: sed sufficere, ut non ponas obicem, peccatum nempe mortale, veleius propositum, quod obicem indigitant.

## XXIII.

Deinde commentum hoc de opere operante in sacramentis, quae actiones sunt Dei, per quas gratiam suam, quam fide vult accipi, offert & exhibet, nostri operis, & quidem operati opinionem intrudit; adeo etiam, ut increduli sine fide, per externum Sacramentorum usum accipere & habere gratiam fingantur: atq. sic neglecto fidei motu interno, externus usus sufficiat, opusq. nostrum id omne sarciat, & recompenset, quod in fide salutari desideratur.

## XXIV.

Deniq. non servat monstrorum hoc dogma apostolicam ὃποτε ωστι πολὺ γιανόντων λόγων quā Paulus flagitat 2. Tim. 1. v. 13. Ut qui credat, & baptizatus sit, salvetur; qui vero non credit condemnetur. Item baptizare & ablue peccata tua in nomine Iesu Acter. 22. v. 16. Et qui indignè manducat, iudicium sibi manducat 1. Cor. 11. v. 29.

Est



XXV.

901.

Est quidem Sacramentorum, secundum institutionem administratorum vis atq; efficacia longe maxima, eam vero vel ex operis nostri dignitate suspendere, vel in magicā aliquā incantatione Elementis adscribere, impium & blasphemum esse dicimus.

XXVI.

Vi enim Sacra menta vim suam ex sola institutione salvatoris nostri Iesu Christi obtinent: ita ijs duntaxat illa obtingit, qui bene, hoc est fide, sacramentis utuntur.

XXVII.

Gravissimis igitur scripturae testimonijs ethnicus hic error concutitur & prosternitur; que ad salutarem usum in omni Sacramento fidem necessariō requiri demonstrant Marc. 15. v. 16. qui crediderit & baptizatus fuerit. Acto r. 8. v. 37. Si CREDIS toto corde, licet tibi baptizari Ioh. 3. v. 18. Rom. 1. v. 16. Hebr. 4. v. 2. Matth. 3. v. 6. 1. Cor. 11. v. 28. Rom. 14. v. 23. Hab. 2. v. 4. Heb. 11. v. 6.

XXVIII.

Hinc etiam Augustinus tractat: 80. in Ioh. Vnde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & mentem abluat, nisi faciente verbo; non quia dicitur, sed quia creditur, & alibi inquit: Sacra menta non quia sumuntur, sed quia creduntur sanctificant. Vnde vulgaris illa regula: Non Sacramentum, sed fides Sacramentii justificat.

XXIX.

Tandem hoc quoq; patet: Cum Sacra menta Evangelij promissionibus sint addita tanquam sigilla; consequens omnino erit, ut quemadmodum promissionem fide accipi necesse est: Ita quoq; in usu Sacramentorum fides accedit oportet, qua promissionem Evangelij de gratiâ itidem intueatur & amplectatur.

DE SECUNDO.

XXX.

Sequitur jam alterum commentum de Charactere indelebili, peraque ut prius nugatorium, recens & incertum, Scriptura & orthodoxæ antiquitati prorsus ignotum; cuius quidem auctoritatē, si ex fulmine anathematis Capitolini, quo monstrum illud dogmatis succinctum est estimare velimus, devoti illud adoremus oportet, & dictum

B

dictum



dictum factū Babylonie Meretricis edictū acceptemus: sed rectius  
Verbo Dei animati & confirmati, bruum illud fulmen videmus,  
quod superveniente oris divini spiritu incassum redditur & dissi-  
patur.

## XXXI.

Verum dispiciamus quid hac de re vanitate vaniores nugen-  
tur: Gabriel disputationes de Charactere scholasticorū in unam  
quasi summam comprehendens distinct: 6. quest. 2. in 4. sentent.  
aut; Sicut hominibus certi status, quandoq; certus ornatus tribui-  
tur, vel signum in ueste, vel corpore, quo cognoscuntur esse illius  
status sive sect&: Ita etiam per Sacra menta quibus homoponitur in  
certo statu, imprimitur immediate à Deo quoddā spirituale signū  
in anima suscipientis sacramentorum, quo cognoscatur suscipiens  
esse in talis statu.

## XXXII.

Describitur autem Charakter ille, quod sit signum spirituale,  
à Deo solo anima impressum in susceptione initerabilis Sacramēti,  
manens indelebiliter de lege communi. vel esse signum impressum  
anima, quod est præviū gratia in susceptione Sacramenti initera-  
bilis. Item, esse quandam potestatem spiritualem, ad agendum vel  
recipiendum aliquid in Ecclesia.

## XXXIII.

Characteri huic multa & varia tribuantur. dicunt esse signum  
gratia inexistentis, si non ponatur obex. 2. Esse signum configura-  
tivum seu assimilativum Christo, quia per ipsum habens chara-  
cterem familie Christi adscribitur. 3. signū dispositivum ad gra-  
tiam sacramenti gratiam facientem. 4. signum distinctivum, ab  
alijs Characterem non habentibus. 5. Esse signum memorativū,  
per quod suscipiens reducitur in memoria Sacramenti suscepti. 6.  
Signum obligativum, ad observantiam divinae legis: sicut habitus  
religionis obligat portaniem ad observandam legem illius ordi-  
nis.

## XXXIV.

Talem Characterem, qui praterea est quasi indeleibile aliquid  
in anima, reddens sacramentū, per quod imprimitur initerabile  
per tria Sacra menta Baptismum scilicet, Confirmationem & Ordin-  
em imprimi dicunt: ita tamen ut ordinis Character si sexuplex  
specie

Specie, ergo, ita Characterum numerus ipsam Septenariam sive  
mentorum numerum superet & anteveriat.

## XXXV.

Aique ut ardua est & magni momenti materia, sicutiam ar-  
ceres & vehementes disputationes parit, quando de indelebilis  
causa, & quidditate eius queritur, unde nec dum satis constat, an  
sit relatio, an vero qualitas absoluta, & in qua specie qualitas.

## XXXVI.

Neque de subjecto omnibus satis constat, in quo ponit & queri  
Character iste debet; dum quidam eū in Essentiā anima, quidam  
in potentia, eaque cognoscente, nonnulli vero in potentia volente collo-  
cant, rem tam illustrem plane obscurant, ipsi & illū tanquam nō ens  
ab omni subjecto removere videntur, ut nusquam appareat, qui u-  
biq; queritur. XXXVII.

Sed jam quomodo hunc suum Characterem probent videbi-  
mus: 1. argumentū Gabrielis dicitur ab Ingenua confessione &  
concessione, quod vocabulum Characteris in hac significatione &  
sensu, nec in scriptura, nec in vetustis Ecclesiasticis Scriptoribus  
exstet; Imo quod nulla ratio necessaria demonstrat, nec evidens au-  
toritas Patrū probet talem characterē ponendum esse, ut cum po-  
suit synagoga malignantium, eiusj; stabilimentū Tridentina Pa-  
trum rasorum colluvies. XXXVIII.

Alterum argumentū Scholasticorum dicitur à semel accepti  
baptismatis stabilitate: habet enim hoc baptismus, (uti volunt) vi  
hujus impressionis characteristicæ, ne semel oblatus iterari possit:  
Verum hujus rationis fatilem falsitatem refellit ipse Gabriel, quan-  
do respondet: In iterabilitatis Sacramentorum principalem ratio-  
nem, non esse Characteris impressionem, sed solam divinam insti-  
tutionem: Unde etiam minus manifestū est characterem esse, quam  
Baptismum non posse iterari; hoc enim à tempore institutionis ba-  
ptismi fuit certum, illud vero ne hodie quidem evidenter constat.

## XXXIX.

Tertiaria ratio palmaria videtur esse, atque sola sufficiens, qua au-  
toritatem Characteri conciliat, cumq; prætorio edicto catholicū  
proclamat; Quod nimixum Innocentius tertius de impressione cha-



racteris in baptismologii videatur. Spectanda sane & veneranda unius auctoritas, quæ opinionem Scripturæ & veteribus ignotam, nefario & impudente conatu toti Ecclesiae obtusare non erubescit. Et nisi Innocentij istius nocerissima vita, ac facta satis innotuissent, ex hoc solùm ungue facile Leonem metiri possemus: nec tantum ejus auctoritas valet, quin etiam verba ipsius aliter intelligi possint, ut Gabriel respondet.

## XL.

Quariam insuper Gabriel, licet hactenius scholasticorum probationes rejecerit, rationem pro Charactere addit; eamq; ab infallibili determinatione Ecclesiae, quæ in his errare non præsumitur quæ fidei sunt, deducit: Cum enim videt posse obijci: Theologum nihil ponere debere, cuius necessitas nō ex fide appareat, ita respondet: Credita quæcunq; probantur, aut ex scripturâ, aut per determinationem Ecclesiae, etiamsi illud non determinatè habetur in scripturâ, quia Ecclesia nō potest errare in his, quæ fidei sunt. Quia vero opinio de Charactere ne quidem Ecclesiae determinationem certam & expressam habet, respondet ulterius: Quod Theologus possit aliquid ponere, tanquam probabile, quod consonum sit scriptura, & determinationi Ecclesiae, licet non possit evidenter & necesse fari deduci ex his, quæ sunt fidei.

## XL I.

Respondemus autem priorem probationem falsâ hypothesi esse superstructam: Quantum enim errarit Ecclesia, quam ille notat, & adhuc cotidie erret in negotio fidei, magis in proclivi est, quam imber, cum pluit: nec est nostri instituti illud inculcare, quod satis superq; ab orthodoxâ Ecclesiâ probatum. Ad alteram quod attinet, respondeatur; cum nihil, quod de charactere somniant Pontificij, scriptura sit consonum, nec quo ad sensum, ne dum quo ad literam in eâ inveniatur, Theologum in eo nihil probabile ponere posse aut debere, secundum illud Deut. 4. v. 2. & 12. v. 32. Non additis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Esa. 8. v. 20. Apoc. 22. v. 18. Matth. 15. v. 13. Coll. 2. v. 8.

## XL II.

Præter illas rationes, moderni purpurata meretricis Babylonia Spurij Iebusitæ, etiam scriptura auctoritatem huic profano & plumbo

plurimi dogmatis obtendunt, ut videre est apud Bellarminum lib.  
2. de Sacramentis cap. 20, ubi aureum textum 2. Cor. 1. v. 21.  
Qui unxit nos, Deus est, & qui signavit nos, & dedit pignus Spiritus; ut & Eph. 1. v. 13, & 4. v. 30. sed quis fidelium manifestam Sophisticam, quam in eiusmodi dictis committit Iesuista non animadvertis? solet enim scriptura eiusmodi Metaphoris, nihil aliud quam ipsum Spiritum sanctum notare, quem modo signum, modo unctionem, modo arrham indiget, ut etiam Eph. 1. & 4. patet, ubi ob-signati spiritu promissionis sancto dicimur.

## XLIII.

Quare vero hanc tam recentem, tam incertam, futilem & lubricam doctrinam commenti sint, haec ferè causa videtur: Quia fingunt lapsis post baptismum non esse amplius utile & ratum fedus illud gratiae, in quod per baptismum recepti fuerant, quia dissolum & fractum sit: Quare ad secundam tabulam, nostram scilicet contritionem & satisfactionem esse configiendum, ut per illam ex pelago perditionis, ad salutis portum enatemos; sicut etiā decretum de penitentiâ ostendit. Sed quam impia & blasphemica sit Pontificiorum sententia in explicat. Can: 11. de baptismo ostendetur, ubi vera fundamenta doctrine de non iterando baptismo simul demonstrabuntur.

## XLIV.

Veram proinde Ecclesiam, à dubiâ illâ & fallaci opinione de impressione characteris, alieniorem esse decet, utpote quæ doctrinæ fundamentum, cuius certitudo propter conscientiarum consolacionem omnino est necessaria, labefactat & tollit. Quod enim baptismus legitime juxta Christi institutionem collatus non iteratur, non impressioni characteris alicuius gratum ferendum; sed ex fædere gratiae divinae & iustitiae estimandum, cuius divini fæderis vigore, gratiae & misericordie sue Deus januam perpetuò in hac vitâ sinit esse apertam, in verâ penitentiâ per fidem ad eam redcuntibus. Ier: 3. v. 12. 22, 2. Tim. 2. v. 13. Mal: 3. v. 6.

## DE TERTIO.

## XLV.

De Ministris porro Sacramentorum ubi legem dicunt Patres

B 3

Triden-



Tridentini initio occurrit, quod insidiosè & nefariè Lutheri sententiam mulierint, ex libello illius de captivitate Babylonica exscriptam, ut nimis eo pacto doctrinam Lutheri imperitiorib. suspectam redderent, quasi quemvis Christianum promiscue sine legitimâ vocatione ad verbi Ministerium, & Sacramentorum administrationem in Ecclesiâ admitteret, omnemq. divinum & humanum ordinem perturbaret & subverteret.

## XLVI.

Opera itaq. precium erit, que Lutheri sit sententia primò discere; & deinde quid contra eam Pontificij sentiant demonstrare.

## XLVII.

Contra Anabaptistarum furias & sectas graviter & orthodoxè Lutherus docuit; Christum claves, sive Ministerium verbi & Sacramentorum tradidisse & commendasse ioti Ecclesiae: non autem ita, ut quisq. suo arbitratu, & privatâ temeritate, sine legitimâ vocatione ministerium illud arriperet & usurparet: sed postquam desit immediata vocatione, mittat Deus Ministros verbi & Sacramentorum per vocationem & Electionem Ecclesiae, juxta verbi sui præscriptum: Ita ut summa potestas Verbi & Sacramentorum sit penes Deum. Deinde Ministerium penes Ecclesiam, per quā Deus mediare vocat, eligit & mittit Ministros. Tertio deniq. penes illos, qui à Deo per Ecclesiam legitimè electi & vocati sunt, ut penes Ministros, quibus mandata est usurpatio seu administratio ministerij verbi & Sacramentorum.

## XLVIII.

Contra hanc sententiam meretriciam frontem sublevarunt, nec dum ruborem induentes fastum demittunt Pontificij: mirans enim tyrannidem Miris Episcoporū, & rasis detonsisq. verticibus Sacrificulorum arrogant, quando persuasione corporalis unctionis, rasurae, vestium &c: laicos, tanquam Porcos & canes, præse contemnunt: imò sub hoc praetextu quidvis in verbo & sacramentis, quasi prætoriâ potestate accincti mandant, decernunt, mutant & addunt: Et quidem ctiam Opus operatum h. e. integritatem & efficaciam Sacramentorum magnâ ex parte in charactere constituunt, quem in ordinatione imprimi nugantur: Et ne cetera Ecclesie

sic



407

se membra quicquam contradicere audeant, vel tacito gemitu de  
hoc sacrilegio dolere: Ecclesiam reliquam nullam plane habere po-  
testatem in verbo & sacramentis impie clamant.

XL. IX.

Quinctiam oblique quasi in id digitum intendunt: Neminem  
etiamsi legitime juxta prescriptum verbum Dei ab Ecclesia ele-  
ctus & vocatus sit; nisi ab Episcopo aliquo unitus & ratus sit, ullam  
habere potestatem in verbi & sacramentorum administratione;  
imò sacramenta ab illis administrata, non esse vera & efficacia.

L.

Quae sententia, arrogantiae & superbiae pseudocatholicorum  
certissimum tempus, ut in Ecclesiam iniqua & minus ferenda;  
ita merito à Luthero notata & reprehensa fuit, & jam ab ortho-  
doxis pariratione rejicitur & damnatur.

L. I.

Quemadmodum enim Christus Luc. 22. v. 25, Paulus 2. Tim. 2.  
v. 24. Et Petrus 1. Pet. 5. v. 2. gubernationem Ecclesia in his  
terris monarchicam esse perniciari; Ita nec electio Ministrorum  
Monarchica esse, aut ex arbitratu unius, aut aliquorum pendere  
potest.

Ad ipsam vero sententiam hujus Canonis decimi quod attinet,  
clare respondemus: Quicunq; existimant cuivis Christiano pro-  
missu sine peculiari & legitima vocatione, permisam esse pote-  
statem usurpandi & exercendi ministerium Verbi & Sacra-  
mentorum in Ecclesia, eos jure & merito damnari: Vim enim inferunt  
regulae divinae, quomodo prædicabūt, nisi mittantur Rom. 10. v. 15.  
Et currebant nec mittebam eos, Ier. 23. v. 21.

L. II.

Hanc regulam ut sanctam rectam servamus, sic quoq; inter  
illam, eiusq; exceptionem recte cum orthodoxa Ecclesia distingui-  
mus, & in necessitatis casu rerum circumstantijs inservimus. Sic  
ut etiam hanc limitationem adiçimus: etiam in vocatione Mi-  
nistri defectus aliquis deprehendatur, non tamen idcirco sacra-  
menta ab illo administrata vim suam amittere. Quandoquidem  
verbum etiam ab hypocritis prædicatum Phil. 1. 15, est & manet  
potentia



potentia Dei ad salutem omni credenti: Rom. 1. & Dei sermo per se est vivus & ἐνεργός Eb. 4. 12.

### DE QVARTO.

#### LIV.

His jam expeditiis ulterius videndum erit, quid de Ministerum circa Sacramentorum administrationem Intentione Pontificij simmient: Nec sane de iuris iustitia aliquo Plautino sunt concertationes, quando de Intentione disputatur; sed de re magna, & de consolatione, que conscientijs in primis est necessaria agitur.

#### LV.

Summa & cardo hujus disputationis in eo vertitur: Virum sc: fides veritatem & efficaciam Sacramentorum querere & constitueri debeat, in veritate Dei Instituentis & in virtute Dei promitteris, & juxta promissionem in actione Sacramentorum operantis: An vero divina illa veritas & virtus ab hominis Ministri cogitatione, fide & intentione sit suspendenda.

#### LVI.

Priorem sententiam, ut orthodoxa Ecclesia sacrarum literarum auctoritate edocta sancte amplectitur, & pro affirmata tuctur: Ita pro posterioris sententiae auctoritate heterodoxa Papicolarum congregatio, tanquam pro aris & focis pugnat & digladiatur.

#### LVII.

Antequam vero nostra assertionis fundamenta, & quae Scriptura sit sententia exponamus, paucis prius videbimus, quae veteris Ecclesiae de hac questione auctoritas, quae Augustini modesta ἐποχή, quae media etatis disputationes, & quae tandem recentiorum opiniones, fidei certe & saluis certitudini periculosisimae.

#### LVIII.

Ad priorem Ecclesiae antiquitatem quod attinet, ignorat illa prorsus periculosam, & impiam hanc opinionem: quod sc: Sacramentum non sit verum & efficax, si Minister malitiosè subtrahat interiorum suam intentionem, etiamsi in actione seu administratione formam institutionis servet.

#### LIX.

Augustinus quoq[ue] lib: 7. cap: 53. ubi de Baptismo nonnullas questiones



questiones in utramque partem disputat, pro scilicet sua verè christiana modestia, usque adeò ex Institutionis veritate & certitudine, non ex hominum sive dantum sive accipientium, quaeunque vel qualitate vel intentione, vult censendam esse sacramentorum veritatem & integratatem, ut ne quidem de mimica seu joculari actione pronunciare ausit.

## L X.

Longobardus quidem illam questionem de joculari & ludicra baptismatione; ut cum aliquis in balneum, vel in flumen in nomine Trinitatis mergitur, ita disputatam Sapientibus adseverat, ut visum fuerit non esse baptismum, cum non intentione baptizandi illud geratur. Interim tamen Intentionem de ipso actu baptizandi, non de fine & effectu baptismi intelligit; nec aliud vult, quam institutionem esse servandam, ut sit verum Saamentum, ut ex subjuncta Augustini sententia manifesto appareat. Nam intentio duplex est: Vera interna, altera externa. De interna in animo & mente sive baptizantis, sive baptizati non laborandum esse contra Pontificios statuimus. Sed externa intentio, quæ nihil aliud est, quam ipsa fæderalis actio in conspectu Ecclesie sic expedita, ut Deus illam instituit, ad integratatem Sacramenti necessaria est.

## L XI.

Non enim hoc vult institutio Baptismi, ut fiat vulgaris aliquotio, vel quæ ex professo nihil aliud sit, quam vel ridiculus latus, vel mimica subsannatio, vel profanatio institutionis cum verborum recitatione; sed requiritur, ut peculiaris instituatur actio, & quidem illa, quam Christus instituit. Quid vero in corde de illa actione sentiat is, qui administrat baptismum, hoc ad veritatem sive integratatem baptismi non periret.

## L XII.

Huic Longobardi sententiae postea subscribens Innocentius, similiter statuit ad veritatem & integratatem baptismi, non necessario requiri, quid Minister sciat, sentiat vel credat de baptismi vel substantia vel effectu: Imo si contrarium credat, & existimet esse deceptionem, baptismum tamen verum esse, modo juxta institutionem baptizet: & tanum hoc requiri disputat; ut Minister

C bapti-



baptizans intendat, vel saltem ut appareat, quod velit seu instituat non lavare tantum, sed baptizare.

## LXIII.

Scholastici non contenti hac sententiâ, longius in hac disputacione sunt progressi: Docuerunt enim ad veritatem baptismi requiri non tantum institutionis formam; verum etiam Ministri intentionem: namq; non tantum respectu actus baptizandi, ut objecti; sed etiam respectu effectus baptismi, qui est eius finis & terminus.

## LXIV.

Et data hac hypothesi tria ponunt, baptismationem, verba, & intentionem: Illaque tria sentiunt simul requiri ad veritatem seu integritatem baptismi, ita ut nullum sine altero sufficiat.

## LXV.

Quia vero sentiunt hac ratione omnino dubium & incertum reddi baptismum, malo huic pharmacum miscentes, varias ex cogitarunt distinctiones, variaque receptacula, quibus illis incommoditatibus mederentur; nunc intentionem specialem, qua multe intendit illud fieri, propter quod institutus est baptismus: modo generalem, qua illud intendit fieri, quod Ecclesia, eamq; in actualem, habitualem, & virtualem resolvunt, & Ecclesia commendant.

## LXVI.

Atq; ex hac distinctione dicunt, ad veritatem Baptismi requiri intentionem Ministri, respectu effectus baptismi generalem, & virtualem, faciendi quod facit & credit Ecclesia. Si vero Minister apud se non intendat, quod Ecclesia, sed quod heresis quædam intendit, non esse verum baptismum.

## LXVII.

Hisce varijs distinctionibus conscientiam cum dubitatione reluctantem, non tam relevari, quim intricare, ipsimet fateri co guntur: Cum enim alterius interna cogitatio, intentio atq; devo tio, mihi nota esse non possit; & illa tamen maxime sit necessaria (juxta pontificios) ad veritatem baptismi; perpetuo certe de baptismo dubitandum, cū periculo longe maximo; imo cū tristissimo salutis animarū dispendo.

## LXVIII.

Nec satis iuta est Alensis responsio, quâ baptizandum committit.



411.

mitti Ministerio fraudet, qui non suspectus, sed probatus in fide, nec  
ut valde consolatorium illud Alexandri & Thoma accipimus, qui  
in illo casu pie posse supponi dicunt, sine prajudicio tamè, quod sum-  
mus Sacerdos suppleat, quod Sacramenta deficit: omnium polius  
ratissimum verae consolationis fundamentum retinemus; ut scili-  
cer veritas Sacmentorum, non ex Ministri incertâ intentione,  
sed ex veritate & certitudine divina institutionis estimetur.

L X I X .

Litem omnem dirimit Tridentinum Conciliabulum, & quasi  
una conclusionis Symplegade omnes sententias comprehendit, spe-  
cimen nimirum exhibens eius emendationis, qua sub titulo Conci-  
lii per multos annos promissa, & à Christiano orbe expectata fuit.

L X X .

Repetit illud non solum scholasticorum voces, sed eorum et-  
iam opinione's erraticas, non tam argumentis, quam anathematis  
crepitu in hoc canone undecimo confirmat: nihil sane, aut parum  
spectans, quid Scriptura, quia' purior antiquitas, religio & præscri-  
bat, dum simpliciter omnia, quæcunq; & qualiacunq; sunt, que  
modo quolibet in tenebris Papalibus usitata & recepta fuerunt;  
vnde etiam cunquè habuerint originem, sine minima vel suspicio-  
ne emendationis & correctionis retineat & stabilita.

L X X I .

Nequè sicco pede prætereundum, quare illam de Intentione o-  
pinionem tam serio & anxiè defendant: cuius rei nulla alia subest  
causa, quam ut dubitationem suam sessione VI. Cap. IX. sanc-  
tam pingant & fulciant: Et cum in actione Sacmentorum pro-  
missio gratia non in genere proponatur, sed applicetur singulis, qui  
Sacmentis vera fide uiuntur: Et cum quidem idco instituta sint,  
ut illam applicationem ad singulos obsignent, confirment & cer-  
tificent: Pontificij vero contra promissiones illas non loqui de me,  
aut de te, contendunt: siquidem fidem illi tradunt esse genera-  
lem notitiam & assensum historicum, non autem specia-  
lem fiduciam. Atq; idcirco varios cuniculos agunt, o-  
mnesq; vias rimantur & exquirunt, ut solidam, certam &  
firmam illam consolationem, qua credentibus in usu Sacra-  
mentis



proponitur, quantum in ipsis labefactent, subruant, & evertant.

## LXXII.

Et sic cum veritas & efficacia Sacramentorum ex divina institutione pendere docetur, fides quoq; in usu Sacramentorum consolationis & certitudinis portum tutum, anchoram firmam, & petram inconcussam invenit; Quod animadvententes, ut infringant, enervent, & subvertant, singunt ad veritatem Sacramentorum, praeter divinam Institutionem, Ministri quoq; attentam Intentionem requiri, ita, etiamsi Sacraenta juxta Christi institutionem administrantur, si Minister interiore suam intentionem vel non adferat, vel subirahat, easint irrita nec efficacia.

## LXXIII.

Aique hinc illud doctrinae monstrum consequitur; Cum alterius cogitatio & Intentio interior mihi nunquam exposita, aut satis perspecta esse possit, suspensum dubium & incertum esse & manere, quicquid fidei ad consolationem in Sacramentorum usu proponitur.

## LXXIV.

Hactenus itaque Pontificiorum opiniones vidimus: nunc ut nostra sententia dilucidior explicatio evadat, haec duæ inter se multum diverse questiones sunt probè distinguenda; quid nimurum 1. ad veritatem & integratem Sacramenti requiratur & necessarium sit, 2. Quid à Ministro exigatur, ut quantum ad suam personam fidelis & bonus, sit quo animo, qua fide, intentione, & de votione, Sacraenta administrare debeat.

## LXXV.

Scriptura certè tradit administrationem Sacramentorum, ut juxta institutionem tractentur, Ministris Ecclesie esse commendata, tanquam causa Instrumentali Math. 28. v. 19. Marc: 16. v. 15. Math. 18. v. 18. 1. cor. 2. v. 1. & 4. v. 1. Quare etiam Ministrum qui animo profano, ludicro & irrisorio, negligenti, & irreverenti Sacraenta tractat, gravissime peccare nō est dubium: Virtutem vero & operationem, veritatis & efficacie Sacramentorum, esse actionem & munus ipsius & solius Dei; atque inde Minister virtus, si Sacraenta juxta Christi mandatum & institutionem administrat, non possunt Dei veritatem & fidem evacuare & irritare.



irritam facere Rom: 3. v. 3. i. Cor: 3. v. 7. Eph: 5. v. 25. 26.  
2. Tim: 2. v. 12. LXXVI.

Hinc Deus Pater salvare per lavacrum regenerationis dicitur, Tit: 3. v. 5, 6. Christus mundat & sanctificat Ecclesiam per lavacrum aquæ in verbo Eph: 5. v. 26. Et baptismus est lavacrum regenerationis & renovationis non Ministri, sed spiritus Sancti Tit: 3. v. 5. Ioh: 4. v. 5. Luc: 7. 30. Act: 22. v. 14. i. Cor: 12. v. 13. Rom: 6. v. 3 Gal: 3. v. 27.

## LXXVII

Præterea ex ratione verbi prædicati talem ἀπόδεξιν exstrui-mus: si vox Evangelij, quando ita prædicatur, sicuti divinitus patefacta est, vera virtus Dei est ad salutem omni credenti Rom: 1. etiamsi ille, qui annunciat, vel non deferat vel subtrahat intentionem, Psal: 50. v. 16. Phil: 1. v. 16. i. Cor: 9. v. 27. Act: 1. v. 16. Math: 10. v. 47. Quid in pari quoq; ratione visible verbum, sacramentum dico, veram haberet efficaciam, quando juxta institutionem administratur, etiamsi Minister de usu & fine nihil credat vel intendat, modo in administratione Christi institutionem servet.

## LXXVIII.

Quare si quid valoris habet ad salutarem usum Sacramentorum Ministri intentione: non minor iure ea in verbi prædicatione requiretur. Verum propter occultam & exorbitantem intentionem Ministri verum Dei verbum non esse in auditorum animis efficax, ut Anabaptistarum & Donatistarum hæresin resipit; Ita Sacramentorum vim & efficaciam ex Intentione Ministri metiri & estimare profanum sacrilegium judicamus.

## LXXIX.

Sicut autem, quando Evangelice prædicationis puritas vitiatur & depravatur, jam non est verum Evangelium, & virtus Dei ad salutem omni credenti Rom: 1. v. 16. Ita quoq; quando in actione, sive administratione Sacramentorum ipsa institutio mutatur, mulatur ac depravatur, tunc non magis esse verum Sacramentum certum est: Verbum enim institutionis ad Elementum accedens, Sacramentum facit.

## LXXX.

Denique hac quoq; ἀπόδεξιν ex impia Pontificio-



rum opinione sequuntur; Si nimis Ministrum Intentio ad veritatem & substantiam baptismi requiritur, ut unum baptismum altero sit melius & perfectius: Nam qui à Ministro, maxime intento, baptizatur, perfectius sacramentum necesse accipiat, quam qui à mediocri, non perinde intento, ministro baptismum accipit. Quin & sanctissimorum hominum baptismus suspectus redditur; cum & illi non semper sint aequae intenti, & aliquando in gravissima peccata prolabantur.

## LXXXI.

Qua cum ita sint, recte cum Lombardo lib. 4. distinct. 5. ex Augustino concludimus, & dicimus, quia justos esse oportet tanti Iudicis Ministros, sint Ministri justi, si volunt: Si autem non voluerint esse justi, qui sedent in Cathedra Moysis, securos nos facit Magister Christus, de quo Spiritus sanctus dicit; hic est, qui baptizat. Item: Si quis ergo baptizavit ebriosus, homicida, adulter, si Christi erat Baptismus, Christus baptizavit: non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, hic est, qui baptizat.

## DE QVINTO ET VLTIMO.

## LXXXII.

Ut in aliis, ita etiam in hoc Canone insidiosam astutiam, & inveteratam calliditatem suam Pontifici produnt, dum omnes à quibusvis Sacrificulis quondam excogitatos ritus, receptos & approbatos Ecclesiae Catholicae indigent. Et cum non ignorent, quam libertatem Verbum Dei Ecclesiae in hujusmodi ritibus concedat, insidiosè addunt, non debere hoc fieri pro lubitu per quemq; Ecclesiarum Pastorem.

## LXXXIII.

Fovet autem longè aliud monstrum, & doctrinarum fetus canon iste pariurit omnium fatidissimos: Pontificem sc. solum cum cornuta sua, & rasa caterva pro libitu posse veteres, & quidem Apostolicos ritus omittere, & in novos commutare: Item Ecclesiam illis à Papa invectis ritibus ita obligari, ut Minister, etiam formam Institutionis divinae legitime servet, atrociter tamen, & mortaliter peccet, si quos ex ipsis ritibus adulterinis occidat; adeo etiam, ut tutius sit & levius Institutione Sacramenti divinam.



divini violare, quam suppositas Antichristi ceremonias pretereire & negligere: unde denique hoc etiam inferunt. In administratio-ne sacramentorum maiorem habendam rationem rituum, qui ab hominibus & inventi & recepti sunt, quam ceremoniarum, quae ipsa filij Dei voce instituta ac mandata: id quod mutilatio Cœna tantum non clamat.

## LXXXIV.

Vt igitur ea, que in genere ad disputationem de ritibus in administratione Sacramentorum pertinent breviter & ordine explicare possumus, summa rerum fastigia sequentes annotabimus, 1. Qui ritus in verbo Dei, utpote auctoritatem habentes, sint fundati 2. Quinam postea à Patribus, & quo consilio introducti, Itemque quomodo à primâ origine degenerare cuperint. 3. Que in Ecclesia circa usum ejusmodi rituum Christiana libertatis sit regula.

## LXXXV.

Quando itaque controvertitur: Virum administratio-nis Sacramentorum sine certis & peculiaribus quibusdam externis ritibus fieri debeant? facilis & manifesta est decisio: Ipsa enim appellatio & definitio sacramenti hoc complectitur, ut adsit ibi vi-sibile & externum aliquid Elementum, ad quod verbum accede-re opurteat; & ut tota actio certo modo, & peculiari ceremonia divinitus instituta peragatur & administretur.

## LXXXVI.

Etha Ceremonie sive ritus sunt substantiales & necessarii, & quomodo fieri debeant, certo & manifesto verbo Dei in scri-ptura exprimitur, & Ecclesia praformatur, ut eo modo tractentur & usurpentur, sicut Institutio divina ordinat & præcipit: Et hir-i-tates nihil aliud sunt, quam ipsius Institutionis executio.

## LXXXVII.

Hos quoque ritus Ecclesiam Apostolicam in administratione Sacramentorum sancte servasse, non obscure colligitur, ne muta-essent spectacula: sed ut doctrina de substantia, usu & efficacia Sacramentorum presentibus, & sacramentis utentibus, fi-deliter ex verbo DEI, lingua ipsis usitata & nota proponere-ntur, atque ut recte de legitima & salutari Sacramentorum suscepti-one admonerentur. Act. 22. v. 16. & 2. v. 38. 1. Cor. 11. v. 23. 25. & 1. Cor. 14-



Cor: 14. v. 12. 19. 26. Math: 28. ver: 19. & 3. v. 6. Ioh: 1. v.  
25. 36. Acto: 8. v. 38.

#### LXXXVIII.

Et fundamenta Scriptura ostendit, unde sumi debeant, explicaciones, exhortationes, preces, & gratiarum actiones, nempe ex institutione, & ex doctrina de Sacramentis, sicut in verbo Dei traditur, ut gratiam Dei implorare Acto: 22. v. 16. Eph: 6. v. 18. Math. 18. v. 13. usum & efficaciam baptismatis considerare Math. 3. v. 11. Acto. 2. v. 38. 39. fidei confessionē edere. Acto. 8. v. 37. & 2. v. 41. Diabolo, eiusq; operibus renunciare 1. Pet. 3. v. 21. Rom. 6. v. 4. 13. Deo pro beneficijs gratias agere Col. 4. v. 2. Luc. 1. v. 68. Eph. 5. v. 20. Namina infantibus imponere, Luc. 1. v. 59. 60. 63. & 2. v. 21. Compatres adhibere Marc. 10. v. 13. Luc. 18. v. 15. & 2. v. 59. baptizatis benedicere, & salutem à precari Marc. 10. v. 16. Acto. 9. v. 17. Licet autem non prescribat conceptis verbis certas formulas, tamen proratione circumstantiarum Ecclesia modò fundamentum servetur, id liberum permittit.

#### LXXXIX.

Atq; hæc sunt que in Sacramentorū administratione, Scriptura & testimoniu & exemplum retinent; Quorum usus eò citius aboleatur & obliteretur, non solum in eorum locum adulterinas suas ceremonias & iheatrica spectacula supponunt; verum etiam anathematis ingeminacione, cœu picto angue territant & damnant eos, quicunq; has fucatas & fictas, pro veris illis & nativis non amplectuntur.

#### LXXX.

Deinde sunt & alij quidam ritus, qui non, ut priores, scriptura vel mandatum vel testimonium habent; sed à viris Ecclesiasticis sunt superadditi, utpote Scriptura & cōsentientes, qui doctrinam sacramentorum utiliter explicant & declarant; Et in verbis atq; interrogacionibus consistunt; quales sunt Exorcismus, Abnunciatio, Confessio fidei &c.

#### XCI.

Neque illos in universum omnes vel abiiciendos vel damnandos esse censemus; sed in ijs retinendis libertatem servamus, qua in Scriptura concedit, & in huiusmodi humanis traditionibus,

vera



717.

vera Ecclesia semper usurpavit; & illos usurpamus & amplectimur, qui nihil impietatis, vel superstitionis admixtum habent; quicq[ue] ipsa substantialia sacramentorum illustrant, nec in actionem planè diversam transformant; nec qui ociosos lusus & theatrica spectacula, sed qui decorem & ordinem Ecclesiasticum, instructionem & adificationem populi, salutari commonefactione provebunt.

XCII.

Denique Regulae Christianæ libertatis in Ecclesia, in usu talium rituum, in his ferè consistunt: 1. Ne tribuatur illis ritibus spiritualis aliqua efficacia, sine divina promissione: nec illa, que Sacramentorum sunt propria, ulla ex parte ad ejusmodi ritus sequentur. 2. Ne sentiamus tales ritus integritatem & veritatem sacramentorum constituere, vel ad essentiam eorum pertinere; sed habeantur pro adiaphoris, & rebus medijs, quæ si ad adificationem utiles esse desinant, & superstitione quādam metamorphosi a salutari fine & usu in abusum degenerent; vel corrigantur vel mutentur, vel exemplo ænei serpentis 4. Reg. 18. v. 4. abrogantur & prorsus tollantur.

XCIII.

3. Nec privata cujusque auctoritas sibi hoc presumat, ut fugiat & refugiat in his ritibus secundum arbitrium; sed totius Ecclesia consensu & estimatione id fiat, illaque pio exemplo libertatem suam ostendat & tuetur, utque omnia secundum Pauli regulam 1. Cor. 14. v. 40. ἔυχμονεη̄ Ιτάξιπ fiant, circumspecte laboret. 4. Ne aliae Ecclesiae propter rituum dissimilitudinem damnentur, nec precipiti Iudicio, si in illorum omissione vel receptione & mutatione libertate sua utantur, mactentur.

XCIV.

His ita positis, & scripture, antiquitatisque purioris auctoritate, nec non concessa Ecclesiæ libertate comprobatis, manifestum evadit, quid de ritibus apud Pontificios in Sacramentorum usu receptis judicari debeat. Primum enim ritus isti, non habent institutionem & mandatum Dei; ideo longè etiam alio, & inferiori loco collocandi sunt, quam Ceremoniae in ipsa divina institutione prescriptæ.

D

2. No



## XCV.

2. Non caret impietate, & temeritate omnium profligatissima istorum rituum introducio, corrigit enim & carpit divinam institutionem & ordinationem, quasi ceremonia illa, quae in administratione sacramentorum divinitus instituta sunt, non satis sint idoneae vel sufficientes; cum tamen quae in illorum institutione divina Maiestas sanxit, sapientissime & perfectissime constituit: Et quemadmodum illis nihil vult detrahi, ita etiam quicquam addi graviter prohibet. Apoc. 22. v. 19. Deut. 12. Ezech. 20.

## XCVI.

Nec ullum habet illud refugium locum, quando pretenditur, per illos ritus ab hominibus additos multa pie & utiliter significari, moneri & doceri: frustra enim colitur Deus, & docentur homines mandatis hominum, omnesque εδελοδηονειας divina Sapientia odit & aversatur Math. 15. v. 9. Esa. 29. v. 13. Marc. 7. v. 7. Esa. 1. v. 12. & 66. v. 3. Et jugum in Ecclesiam reducunt, quod neg. nos, neg. Patres nostri portare potuerunt, Actor. 15. v. 10. quicunque figuræ veteri Testamento proprias revocant: cum in novo Testamento quae Christus doceri & moneri voluit, non umbris, sed luce verbi tradi & proponi iussit: inde etiam de verbis, non autem de figurarum ab hominibus inventarum efficacia promissionem habemus.

## XCVII.

3. Pontificij ritus plus decori Sacramentorum administrationi adferre, & dignitatem eorum magis amplificare putantur, quam ceremonie, quae Institutione Sacramentorum ab ipso Deo prescriptæ sunt: cum potius decorum & honorem Sacramentorum, non ex humanis traditionibus, sed ex verbo Dei, & institutione divina estimare debemus.

## XCVIII.

4. Humanorum illorum rituum pompa, multitudo & splendor, Sacramentorum ceremonias divinitus institutas & prescriptas obruit & obscurat, sensus & animos occupat, ut vel nulla, vel exigua eorum ratio, quae Institutionem & mandatum habent servetur.

5. Super-



## XCIX.

5. Supperadditos illos ritus non permittunt esse signa commissarietia de doctrina & usu Sacramentorum, in quem finem apud vetustissimos Ecclesiae Doctores instituti leguntur: Verum sanguis cum Montanistis, peculiarem quandam efficaciam, & spiritualem operationem tribuunt; Imo ipsum baptismum vi sua omni operatione spoliant, eamq; inter ritus ab hominibus excogitatos partiuntur & distribuunt; id quod in illorum Exorcismo, insufflatione, impositione manuum, unctione, consecratione, seu potius execratione unguenti, Salis, Cerei, & in alijs luce meridianâ clarius apparuit.

## C.

6. Ex eo proinde vulgi persuasio, pari reverentia ac devozione ritus ab hominibus inventos, atq; ab ipso Deo institutos & mandatos, ad integratem, veritatem, & efficaciam Sacramentorum recipit; & sic divina humanis, cœlum terræ, profana sacris, profano sensu miscet, quod etiam supra annotavimus.

## CI.

7. Liberae horum rituum observationes fuerunt in Ecclesia: neque etiam in omnibus Ecclesijs similes & ijdem observabantur. Et si quando Ecclesia edificationi in servire, parumq; momenti ad pietatem alendam habere, ulterius non existimabantur; aut causa, propter quam institui & observari cuperant, vel sublata, vel mutata erat; aut quando ab ipso fine & usu, ad quem initio constituerant, in superstitionem degenerantes exorbitabant, salutari consilio ac libertate abrogati & omisi fuerunt; ut ex pragulatione latetis, mellis & vini, cuius Tertullianus & Hieronymus meminit videre licet. Hanc vero libertatem non solum Pontificij, Ecclesiae admunt; verum etiam anathematis determinatione detonant & crepunt, si vel umbra saltem quorumcunq; talium rituum, qui in Romana Ecclesia consuetudinis aliquam prescriptionem habuerunt, aboleatur, & superveniente senioris doctrine lampade discussiatur: etiamsi interea nullam veram observationis causam, nullum salutarem finem, & usum, ad edificationem Ecclesiae isti ritus habeant.

Denique



420  
CII.

g. Denique in unū chaos commiscent recentiora instituta eum  
vetustis ritibus; & illas rursum confundunt cum divinis Institu-  
tis & commentitia testimonia ex suppositijs scriptis conquirunt,  
quibus ceremonias, quæ à religiosa antiquitate, ordinis, decori, &  
adificationis gratia institutæ sunt, apostolicis ritibus adæquent, &  
vel à filio Dei, vel à Spiritu sancto institutas demonstrent, ea-  
rumq; auctoritatem a quæ iam late, & qualique precio, quam à Deo  
institutarum extendant & venditent.

CIII.

Atque hac de spurijs & adulterinis ritibus, multiplicique Ce-  
remoniarum abusu apud Pontificios dixisse sufficiat; quibus no-  
stram doctrinam, utpote sacrarum literarum auctoritate & testi-  
moniis fundatam opponimus; nosque in hac cœlesti veritate  
Iēsou & cōscientiā constantē servari à Deo oramus: Adversariorumq;  
heterodoxas doctrinarum plantationes, utpote à Patre cœlesti  
non plantatas spiritu oris divini eradicari & extirpari petimus;  
et que exoptamus.

W. de d' Oegae



99 A 6902



PA>OC

Retro

VDTA





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

